Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 123
Quelle:
Copyright:

venit. Spiritum ſanctum tamq. columb. pro *ſpiritum tamq. columb. Appropinquabit regnum dei* pro *appropinquavit. Scio quod ſis ſanctus dei* pro *qui ſis. In ſynagogis eorum in omni galilea* pro *et in omni Galilaea.* &c. Gloſſae Marginum ex *Hieronymo* et *Beda* depromtae ſunt potiſſimum, quaedam, uti et interlineares, eaedem ſunt, quae in *Bibliis gloſſatis ſupracit.* ut adeo mirari ſubeat Cl. *Lambecium*, qui L. II. p. 749. edit. *Kollar. col.* 526. eas omnes absque diſcrimine antiquas *anonymi* cujusdam Autoris Annotationes lectu digniſſimas adpellat. Neque illud verius, quod *eod. l.* adfirmat, Scripturam hujus Codicis fere eandem eſſe, quae cernitur in *Epiſtolis S. Pauli Mariani Scoti* propria manu exaratis, et *Cod.* LVIII. indicatis.

LIV. VI. F. ii.

395 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 127. 4. continet *Evangelium ſecundum Lucam* charactere luculento exaratum in medio, latus utrinque ſtipante *Gloſſa Ordinaria* minutius ſcripta, cui inter lineas Textus accedit et altera ab ſitu vulgo *interlinearis* adpellata. Praeit, ut in *Bibliis Gloſſatis* ſolet, *Hieronymi Prologus*, qui incipit: *Lucas ſirus antiocenus arte medicus diſcipulus apoſtolorum* &c. Evangelii *Capita*, quae ſine *Verſuum* diſtinctione decurrunt, indiligenter in margine adnotata ſunt.

Codici praetexta eſt membrana idiomate germanico, qua Abbas *Chunradus* et Conventus ad *S. Crucem* in *Auſtria* infer. vendunt *Chunrado Dietrici* filio ejusque uxori *Catharinae* duas vineas in *Pfaffſteten*, quarum una dicta *daz Smaizzl*, altera *der Hekinger. Der brif iſt Geben noch Chriſtus gepurd dreuczechen Hundert iar darnach in dem ains vnd fumfczigiſten iar dez Erſten Sunntags in den vier Tagen.* Itaque *Dom. I. Quadrag.* aut, ſi Eccleſiam ſequare, *Dom. III. Adv.*

LV. VI. H. 2.

Codex chartaceus lat. Sec. 640
XV. Folior. 19. 4. continet IV. *Paſſiones* Evangeliſtarum *Matthaei, Marci, Lucae* et *Johannis.* Initium: *Paſſio domini noſtri ihesu criſti ſecundum matheum. In illo tempore dixit ihesus diſcipulis ſuis. Scitis quia poſt biduum* &c. Inſcriptio Johannis: *Paſſio ſine ſalutacione ſecundum Johannem*, innuit, dum haec *Paſſio* feria VI. in *Paraſceve* legitur, ad id, quod in tono Evangelii legendum eſt, non peti Benedictionem, non deferri Luminaria, neque Incenſum &c. ut eſt in *Rituali*, ſecus ac diebus praecedentibus, quibus aliae *Paſſiones* leguntur.

LVI. VIII. F. k.

Codex chartaceus lat. Sec. 457
XV. Folior. 150. 4. currente calamo ſcriptus continet *Epiſtolas Pauli, Petri, Johannis, Judae* et

Ja-